



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. De effectu appellationis suspensivo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## S E C T I O VIII.

## De effectu appellationis, &amp; attentatis post illam.

Effectus appellationis duplex est, suspensivus, & devolutivus. De priore sit

## §. I.

## De effectu appellationis suspensivo.

Per appellationem à sententia definitiva ordinariè suspenditur Iudicis à quo iurisdicatio, circa causam illam, in qua est appellatum, ita ut pendente appellatione eam executioni mandare non possit; non autem per appellationem ab interlocutoria, Iudicis à quo iurisdicatio suspenditur, quin possit in causa procedere, donec inhibeat à Iudice, ad quem appellatum fuit, ut ex dictis patet. & ex c. Venientes 19. de iurejurand. & ex c. Dilectis 55. h. r. Quamvis circa alias causas diversas à causa appellationis respondere teneatur, qui appellavit, coram Iudice à quo, si coram eo conveniatur, recusari tamen potest hic in talibus causis, tanquam Iudex suspectus, ut habetur in c. Proposuit 24. h. r. Sicut enim per appellationem non eximitur à iurisdictione sui ordinarii Iudicis, nisi in ea tantum causa, circa quam appellavit, ita in aliis causis ob periculum gravaminis recusare eum potest (saltem de iure Canonico) contra quem appellavit, & sic merito minus benevolens timere potest, Allegare tamen, & probare hic recusans debet coram arbitris communi consensu electis, non tantum, quod contra talem

Iudicem in alia causa jam appellavit, sed quod ab eo injustè fuerit gerens

## §. II.

Quibus casibus per appellationem non suspendatur iurisdicatio Iudicis à quo appellatum, sed eà adhuc pendente nihilominus procedere possit?

Primo potest Iudex à quo, non obstante appellatione, & hac pendente procedere in causa, circumstantiè attentati, faciendo omnia illa, ad faciliorem finem seu exitum causæ appellationis conducunt, modo se immisceat causæ appellationis, de qua v.g. cognoscendo, &c. prout fuerit per c. Cum teneamur 17. h. r. quia per appellationem iurisdicatio Iudicis à quo appellatum, non est extincta, sed suspensa tantum, quæ causam, in qua est appellatum, ita ut iustitia illius cognoscere non possit, adeoque cum dicitur pendente appellatione nihil immutandum, aut immutandum, &c. intelligi tantum debet prohiberi, ne quidquam immutetur, non ut vetur in præjudicium appellationis, autem, quod prohibeantur ea, quæ in favorem appellationis, & faciliorem exitum à Iudice à quo fiunt.

Secundò potest Iudex ordinarius, qui appellavit, non obstante appellatione, & hac pendente, punire ob circumstantiæ fortasse post appellationem peractam, aut ante eam commisit c. Preterea 22. h. r. quia eos, ut ait Pontifex, appellatio in sua iniquitate tueri non debet, quominus per Canonicam censure puniri debeant.

Tertiò potest Iudex à quo, sive ordinarius, sive delegatus ille sit, à causa